

colophona, chium, erythras, phocæam, Clazomenas, lebedum, meliten. Hæc melite propter cuius arrogantiam ab his ciuitatibus bello indicto communi cõfilio est sublata, cuius locõ postea regis Attali & Arfinoes beneficio Zmyrneorum ciuitas inter ionas est recepta. Hæ ciuitates cum caras & lelegas eiecissent, eam terræ regionem à duce suo ione appellauerunt Ioniam, ibiq; templa deorum immortalium constituentes cœperunt phana edificare, & primum Apollini panionio ædem, uti uiderant in achaia, constituerunt, et eam doricam appellauerunt, q̃ in doricon ciuitatibus primum factam eo genere uiderunt, In ea æde cum uoluissent columnas collocare non habentes symmetrias earum, & querentes quibus rationibus efficiere possent, uti & ad onus ferendum essent idoneæ, & in aspectu probatam haberent uenustatem, dimensi sunt uirilis pedis uestigium, & cum inuenissent pedem sextam partem esse altitudinis in homine, ita in columnam transstulerunt, & qua crassitudine fecerunt basim scapi, tantum eam sexies cum capitulo in altitudinem extulerunt, Ita dorica columna uirilis corporis proportiõem, & firmitatem, & uenustatem in ædificiis præstare cepit.